

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.**Tekst oficjalny**

Commune incliti Poloniae Regni privilegium constitutionum et indultuum publicitus decretorum approbatorumque, ed. I. Lascius, Cracoviae 1506, k. 176v–177

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 1

[1] De electione, iuramento, officio et autoritate scabinorum et consulum.

Cesar Otto Ruffus fundavit templum in Maydemburg et dedit civibus municipale ius secundum eorum arbitrium et secundum consilium seniorum. Extunc arbitrati sunt, quod eligerent scabinos et consules, scabinos ad diuturnum tempus et consules ad unum annum. Qui tunc iuraverunt et nunc iurant annis singulis, dum eliguntur, ius ac profectum et honorem civitatis custodire et [k. 177] agere, quanto cautius et melius sciant aut possunt, cum consilio et iuvamine seniorum. Et hoc non dimittendo ratione amoris, molestie, ire vel munerum, sicut eos iuvet Deus et sancti eius. Consules exponunt suum conventum secundum suum placitum ac voluntatem cum seniorum consensu. Consules etiam habent potestatem iudicandi super quamlibet vacuam mensuram et pondera iniusta, ac [1] choretos iniustos et cuiuslibet cibi et potus mercimonia. Et quicumque hoc violaverit, demeretur tres Sclavonicas marcas, que faciunt XXXVI solidos. Quando consules suum conventum exponunt, extunc quicquid ibi statutum fuerit aut compromissum in isto, quod iuri Divino non contradicit, firmum et inviolabiliter debet observari. Et quicumque violauerit, hoc consules habent agere et iudicare. Et quicumque ad conventum venire neglexerit, cum signum datur per campanam, demeretur sex denarios. Si autem conventus sibi pronunciatus fuerit, demeretur quinque solidos.

¹ na marginesie: de quo supra folio XLVI. Odnośnik do Statutu warckiego, lecz brak związku z przepisami na k. 46 i k. 46v. Na karcie 45 cztery artykuły grodzkie.

[hasła: rajca, ławnik, rada, starsi, Magdeburg, cesarz, kadencja, miara, waga]